

a. Reg. 8. Reg. 3. 9. Salomon inquit: *Dabis ergo seruo tuo cor docile, ut populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum.* Non nisi per iudicis officium innotescerebat munus regium: hinc 2. Reg. 8. 15. dicitur: *Regnavit David super omnem Israël: faciebat quoque iudicium & iustitiam.* Munus ergo iudicum illo in statu erat munus regum, & quoad Reipublicæ moderamen, & quoad litium direptionem: demumque exercitia imperatoris, suos tutando, hostes compescendo, propulsando iniurias, vindicando illatas, ad Iudices attinebant; ut constat toto *Judic.* libro. Proinde Dominus, 1. *Paralip.* 17. 10. *Diebus, quibus dedi Iudices populo meo Israël, & humiliavi uniuersos inimicos.*

16 Hoc intuitu Iudices, qui Rempublicam cum officio Principum continebant dicebantur Salvatores. Sophocles in *Aiac.* v. 774. *Fortè in hac die sumus ipsius cum Deo Salvatores.* Plato lib. 5. de *Republ.* ait: *Principes Salvatores sunt Reipublicæ.* Hæc utique vox *Saluator* male audit apud Calepinum, est alitruatur testimonij Ciceronis & Quintilianij: quanvis non esset propria antiquitatis, propria modò. Respondet Augustinus. *Serm.* 299. n. 6. *Saluare & Saluator non fuerunt Latina, antequàm veniret Saluator: quando ad Latinos venit, hæc & Latina fecit.* Salvatores ergo Iudices Israël vocati sunt. 2. *Eldr.* *Dediti eis Salvatores, qui saluarent eos de manu hostium suorum.* *Judic.* 3. 9. *Suscitavit eis Saluatorem, & liberavit eos, Othoniel filium Genez: & v. 15. Suscitavit eis Saluatorem, vocabulo Abà.* Pariter de Apostolis præcinitur Abdias, v. 21. *Ascendent Salvatores in montem Sion iudicare.* Salvatores non primariò, quo sensu solummodò Dominus.

Ovid. *Te scilicet omnis in uno*
Nostra salus posita est.

Dominus dicitur *Saluator Israël:* 1. *Reg.* 14. 39-1. *Paralip.* 16. 35. *Esth.* 15. 5. & *Sapient.* 16. 7. Iudices fuerunt Salvatores ministerialiter, virtute Dei propriè Salvatoris: quo sensu Ioseph dicitur à Pharaone *Saluator Mundi:* *Genes.* 41. 45. & 4. *Reg.* 13. 51 de Eliseo, ut cogitant Maluend. Caietan. & Alapide, *Dedit Dominus Saluatorem Israël.* Sic Græcus ad illud *Act.* 13. 20. *Dedit iudices,* legit. *Dedit Sotera.* In hoc sensu Augustinus, quæst. 18. in *Judic.* inquit: *Advertendum est, quod Saluatorem dicit etiam hominem, per quem Deus saluos faciat.* Hi ergo dicebantur Salvatores duplici munere: & liberando Rempublicam postquam sub tyrannorum potestate venerat, & præueniendo ne veniret; in quo ælimabilior salus, vel ut aptius dicam, propriè igitur propriè liberatio est à malis, saluatio verò conservatio in bonis, ut ait D. Thom. in *Psalm.* 7. v. 2. *Astruit etiam Augustin. ubi nuper, quæst. 25. Quomodo post Abà Samgar pro Israël pugnauerit & dicitur sit Saluator Israël? Non enim rarius fuerant captiuitati, vel iugo seruitutis innexi. Sed intelligendum ita dicitur saluavit, non quia nocuerit aliquid hostis; sed ne permitteretur nocere.* Sic à pluribus vocantur *Vindices,* ut legit Arabicus, tanquam assertores publicæ libertatis, uti de Militiade, *Controv.* 24. ait Marc. Senec. *Alligatus iacebat Persiæ potentia vindex, libertatis publicæ assertor.* Soteres ergo erant & seruatores, Deum verè Saluatorem æmulantes: igitur ille post captiuitatem liberabat clamantes ad se; & ne læderentur, gentes terrebat & interiùs & exterius.

17 Plerunque enim post seruitutem electi Iudices: quare præmissa tyrannide sæpè dicitur: *Suscitavit Dominus Iudices, qui liberarent eos de vastantium manibus:* cap. 2. 16. & 3. 9. 15. quod quidem nonnunquam insigni miraculo victoriæ partæ; ut cognoscerent protervi errantes corde per illius ministros Deum solum solum illis posse adesse Saluatorem. Multa ostenta signantur in libro *Judicum,* & 1. *Reg.* 7. à v. 10. & quasi parua essent tot inaudita mirabilia, Philo Biblicus, seu Anianus comminiscitur inania de Cenez, patre Othonielis, primi Iudicis Israël: equidem postquam Rempublicam expurgavit ab idolis (de quo egimus, *Tom. 4. Tautol. 3. à num. 21. & etiam loquemur, Tom. 6. Tautol. 3.)* & noxios tradidit igni, cum tribus millibus virorum percussit ex Amorrhæis primà die octingenta millia, secunda verò quingenta millia: nihilominus tamen ab aliquibus insimulatur deside, quo intimè punctus, descendit solus in Amorrhæorum castra, & præcedente Angelo Domini Gethel (qui misit cæcitatem in hostes; ut unusquisque proximum cogitare aduersarium) mutuò vulnerati ceciderunt quadraginta quinque millia virorum: cum ipse Cenez totidem è medio sustulerit. Verùm separare nequibat munus ab ensis capulo, quia dextera eius gladij acceperat virtutem, sicut de Eleazar dicitur, 2. *Reg.* 23. 10. *Ipsæbetit & percussit Philistiæos, donec desciceret manus eius*

2. Reg. 23. 10.

Græc. Augustin. Salus præseruativa vera salus.

Idem.

Marc. Sen.

Gesta C. nra.

& obrigsereet cum gladio: ita ut passio, aut sapore digiti contracti sine motu ad hæsissem manubrio: at toti sanguine cuiusdam Amorrhæi adhuc calente, receperunt pristinum usum. Concludit itaque Philo: *Principatus est Cenez populo quinquaginta & septem annos, & timor erat super omnes inimicos eius omnibus diebus suis.* Quid dicemus ad hæc?

Philo Bibl.

Grande Sopbos! Longà dignissima verbaque barbâ:
Et nihil muscum, præter hirundineum.

Semper Rabbinii replent cornua bombis. Taxat vel fautor Petr. Cunæus, lib. 3. de *Repub. cap. 8. Iudeorum* (inquit) *sunt argutie: qui tamen homines plura cum habeant eruditionis præfatiâ, nihil intentatum reliquerunt. Nimirum ineptiunt plerique, inter illos interpretati legem sunt superciliosi magistris, qui errores erroribus tegunt, ne perliant; & discipulos suos magnâ misericordia, unum hoc docent, Nihil scire.*

Rabbinii ferè nugivanduli.
Cunæus.

18 His igitur præmissis, respondendum stylo Tautologico utriusque Pleonasmii, tam de Iudicibus iudicantibus, quam de salvantibus Salvatoribus. Exergasia liquet, ut notetur materia circa quam, & implicite non solum modus, sed egregius in exercitio, seu munere credito. Unde ipsa actio confirmat, præclare muneri responderi; quia non nomina magna, sed magna gesta nomini dignitatis affinia, facere ambiebant. Quare Ovidius, 1. de *Pont. Eleg.* 2. v. 1. & lib. 2. *Eleg.* 3. v. 1. ad Maximum fuccinitt:

4. Reg. 23. 22. Eldr. 2. 27. Exergasia.

Maxime, qui tanti mensuram nominis implet.
Maxime, qui claris nomen virtutibus aquas.

Ovid.

Græcè: *Pheronymi*, sicut econtra *Pseudonymi*, quos decet fugere nomina magna; quoniam haud ferunt substantiam, sed magni nominis umbram. Hinc quum *Saluator*, *Iesus*, *Dominus N.* dicitur, additur *Marth.* 1. 21. *Ipsæ enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Mulier illa, de qua 4. *Reg.* 6. 26. ad Regem clamat: *Salua me Domine mi Rex.* Tibi congruit afflicta subvenire. Ministerium tuum imple. Sic vetula quædam ad Philippum Amyntæ, ut refert *Erasm.* in *Apophtheg.* lib. 8. *Vel audi, vel non sis Rex.* Ministerium & actio sæpe iunguntur in Scriptura. *Mal.* 40. 11. *Sicut pastor gregem suum pascit.* *Ezech.* 34. 23. *Suscitabo pastorem, qui pascat.* Idem *Ierem.* 23. 24. *Propheta prophetabant: 3. Reg.* 22. 10. *Ierem.* 27. 16. & *Apocal.* 14. 2. *Citharæodorum citharizantium in citharis.* *Homer.* 19. *Iliad.* v. 43. *Gubernatores, qui tenebant clavos navium.* Vide alia in *Prolog. Galeat.* s. 5. num. 8. Per actiones igitur comprobatur ministerium. Sic Iudices Israël dicuntur Salvatores; quia iuxta munus Rempublicam salvam à discrimine fervabant, & per illos ubique facta tecta: aliter nomen haberent, sed nequam gloriosi nominis veritatem. *Homer.* 8. *Iliad.* v. 246. de Iove ait:

Ministeriis, & actio ministerij per episcopum.

Quarta ena postio.

Annuit, populum saluum facere, neque periturum.

Homer.

Negatione & affirmatione proferitur Græcè, quod Hebraicè sæpe nomine & verbis geminatione, ut sæpe vidimus & videbimus: quod etiam apud Lucam, 9. 56. legitur: *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* In hac dialecto patet emphasis: igitur qui salvat, salvat à malis, qui salvat saluatione, non tantum liberat à malis, sed bona confert: Propterea assertor N. Ioann. 10. à v. 9. ait: *Ego veni, ut vitam habeant & abundantius habeant:* igitur siquis per illum introierit, salvabitur, & ingredietur & egredietur, id est, prosperabitur. Haud aliter Salvatoribus Iudicibus Israël cuncta populo felicitia: quandoquidem non solum Rempublicam à pressuris incolumem vindicabant; sed studiosè efficiebant, quòd unusquisque posset quiescere sub sicu sua, & sub vite sua. *Mich.* 4. 4. *Zachar.* 3. 10. Iudices enim dicuntur, sumptà actione pro subiecto actionis. Sic Maluend. legit: *Salvantes, qui & salvaverunt.* Vel pro superlativo: q. d. *Dediti Iudices insignes, magnificos Salvatores. Erant ergo* (inquit Rupertus lib. 4. de *Victor. Verbi Dei*, cap. 6.) *in disciplina Iudices, in prælio Duces, in utroque Salvatores.*

Emphasis.

Quinta ex postio.

Actio pro subiecto actionis.

Maluend. Vel superlativo.

Rupert.

19 Aliquid in huiusmodi voce arbitror singulare latere, cum salutis actio iungitur Salvatoribus: nimirum, Deum per illos non tantum salvasse è periculo actionis. Sic Maluend. legit: *Salvantes, qui & salvaverunt.* Vel pro superlativo: q. d. *Dediti Iudices insignes, magnificos Salvatores. Erant ergo* (inquit Rupertus lib. 4. de *Victor. Verbi Dei*, cap. 6.) *in disciplina Iudices, in prælio Duces, in utroque Salvatores.*

Terenti.

Nec salus nobis saluti iam esse, si cupiat, potest.

Plant.

His in rebus duntaxat salus quibat esse à Salvatore, ut liquet ex tractu rerum, in libro *Judicum* memoratarum. Articulus maximus afflictionis describitur, *Exod.* 14. cum ar-

Salm in pe- riculo inde- clinabili ve- ra & incly- ta salus.

Etati viderentur filij Israël inter exercitum Ægyptiorum & mare Rubrum. Hac de causa fospices dixerant cum Moyle: Factus est mihi in salutem iste Deus meus: cap. 15. 2. Hebr. Salvator meus. Caietan. Tebova, qui fuit ei in saluationem: igitur non solum Israël exans tantum, excusa captivitate & suffocato hoste; sed refertus est bonis, ibi unde tantum malum imminebat, ita ut vel casurus in manus hostiles, vel in maris Rubri vorrices. Hinc salvator dicitur Deus, quia miraculose Israëlitas, animum despondentes è periculo eripuit; unde inclyta salus, quam geminatione hyperbolice expressit David, Psalm. 36. 40. Adiuvabit eos Dominus, & liberabit eos; & eruet eos à peccatoribus, & salvabit eos, quia speraverunt in eo. Eccli. 28. 1. Servans servabit. Non ut- cunque, sed insigni modo, & miraculo. Unde vel ethnicus dicit, Daniel. 6. 27. Ipse liberator, atque salvator, faciens signa & mirabilia in celo & in terra. Iterat voces idem significantes, ut clareat, quam singularis Deus, mirabilisque pro libertate, sui- que populi salute. Ita apud Græcos Iupiter plausus cognomento Soter & Eleutherius, quia illos liberavit à Persis, partà insigni victoriâ ad Plataas, ut referunt Plutarch. in Aristid. & Gyrald. Syntagm. 2. num. 69. & 70. Sicut ita inopina, insignis salus à Deo, qua de causa iurè liberator & Salvator; haud aliter instrumenta, per quæ salutem conferebat, nimirum Iudices, dicti Salvatores salvantes, idest, insignes Salvatores, qui penè lapsum Republicam Israël in pristinum, splendorem statum, & ultra auxilio Dei restituebant.

Daniel. 6. 27.

Sexta expo- sitio.

Exergasia.

Septima expo- sitio.

Iudicium iuxta legem proprie in- dicitur.

Octava expo- sitio.

20 Hebraïsmum proclivè exponitur per equipollentiam vocum. Salvatores, qui salvarent: idest, qui liberarent à pressura populum: ut Iudic. 3. 9. legitur: Suscitavit salvatorem & liberavit eos. Eodem modo dicitur Iudices qui iudicaverunt: accepto ly Iudices pro principibus: sic Eccli. 10. 1. Iudex sapiens iudicabit populum suum: hoc est, Princeps sapiens: iccirco subditur, & principatus sensati stabilis. De acceptione plura infr. num. 33. Quare sensus est, Iudices, qui principes; quippe tunc Iudex dicebatur magistratus supremus, ut constat ex principali Tautologia: Quando Iudices præerant. Vid. num. 37. Possimus quoque in his geminationibus contemplari persistentiam Principum Iudicum in iudicij rectitudine, qua gaudebat Israël toto cuiusque Iudicaturæ tempore: sicque iudicium illorum antonomastice dicitur iudicium; quia non prout libebat, sed ad legum tenorem iudicabant. Non ad arbitrium, sed iuxta Dei scita, quæ usquequaque Iudicia dicuntur: unde haud alijs vocibus, quam per Iudicium, significa- tur prudentia, atque rectitudo iudiciorum. Aliquando continuatio actionis notatur parti- cipio verbi & verbo, aliquando verbo simul & gerundio; ut præmissimus, Tom. 4. T. 2. à num. 17. signantes discrimen inter facere faciendo, & facere facientem: gerun- dium enim ostendit actionem, participium verò tempus. Quare cum omni tempore iudicia recta fecissent, & iudicia sint actiones; merito vocati Iudices. Maluend. Iudicare Iu- dices: quippequam si munus iudicis rectè & semper iudicare; præclarè semper responde- bant muneri.

3. Reg. 4. 1.

Maluend.

Salomon à principio su per totum Israël reg- navit.

Maimon.

Petr. Cu- neus.

Fabula Rob- binorum de oleo, Arca, lapides Vrim & Tummim cum residuo Manna possessse Iosiam tradunt; eorumque

21 Occurrunt etiam aliæ eiusdem argumenti Tautologiæ, pro quibus oportet ali- quid in explanationem addere. Erat autem Rex Salomon regnans super omnem Israël: Rex dicitur à Regimine regni: investigandumque modò, quo intuitu dicitur Regnans, si præsupponitur Rex? Astruitur amplius versione Maluendæ, qui legit: Erat Rex Salomon Rex. Quis non? An quia additur, Super omnem Israël? Discrimen ostenditur initij regni Salomonis & Davidis: siquidem hic primò regnavit super Iudæ, & mortuo Isobothel super duodecim tribus: caterùm Salomon ex quo Rex, regnavit super totum Israël. Haud sicine evacuatur difficultas: quandoquidem in præfatam propositum sufficiebat dicere, Salomon erat Rex, seu regnabat super omnem Israël. Ut quid igitur & Rex & Regnans ostenditur? Maimonides in postrem. part. Misna, & alij Rabbinii delirant dicen- tes, etsi Salomon iam Rex esset, nullo modo regnasse, dictum; quouque unctus est oleo singulari; quia ea unctio celsitudinem quandam divinam Regibus, maiestatemque addidit; sacrosancti in terris ut essent, & commercium cum Numine haberent. Id. Quid ultra? Alia nugamina restant. Hoc unguentum conficere Moyses iussus est varijs aromatum ge- neribus. Atque autem Talmudici (in h. Cuneus ubi supr. lib. 1. cap. 14.) adhibitam illud initiationi, consecrationique fuisse, usque ad tempora Iosie, qui illud in templo recon- didit sub bumo in loco abaito, secretoque, quem diu antè summâ curâ Rex Salomon paraverat, cum ex Vatum responsis dedisset futurum olim, uti templum ab Assy- rijs solo aquaretur. In eodem specu Arcam quoque isti foderis, & Aironi baculum, tum

omnium nihil quicquam Iudæis restitutum esse, cum reversi Babylone in patrias sedes, tem- plum secundum extruerent. Clare totum factum: igitur antequam regnaret Salomon, constitutus est Rex, & unctus. Sumpsit Sadoe (dicitur 3. Reg. 1. 39.) cornu olei de Taber- naculo, & unxit Salomonem. Deinde illud oleum sacrum non erat, sed vulgare: & quan- vis Psalm. 88. 21. dicitur de Davide Rege, Oleo sancto meo unxi eum; intelligitur fan- ctum, quia in loco sancto erat, nimirum, in Tabernaculo in huiusmodi functiones: de oleo autem sancto, quod dicebatur oleum unctionis, Levit. 21. 10. Oleum latitia, Psalm. 44. 8. Hebr. 1. 9. præscribitur Exod. 30. 32. Caro hominis non ungetur ex eo: & iuxta compositionem eius non facietis aliud; quia sanctificatum est. Unde proteruntur deliria Rabbiorum, asserentium, Davidem & Reges eius familia unctos oleo illo Mosæico, quod citra diminutionem duravit usque in Babylonicam captivitatem in gratiam Christi Domini oritur ex illa. Vide Genebrard. in Psalm. 88. cit. ubi ex illis videbis unctioem Regum an factam in modum coronæ, vel in formam crucis.

Aaronis vir- ga, Manna, & lapidi- bus Urim & Tummim. Psal. 88. 21.

Exod. 30. 32.

Apocal. 17. 12.

Virgil. Stat.

Hæres Reg- ni Rex. Servius.

Virgil.

Regni pos- sio. Iesu.

Claudian;

Plin.

Ovid.

Non capit regnâ duos.

Lucan.

22 In huiusmodi Tautologia Regnare sumendum est pro habenas regiminis sus- cipere, indeque tenere, quippe iam patre superlitate constitutus fuerat Rex super univer- sum Israël in Gihon iuxta fontem superiorem, dictumque à cunctis: Vivat Rex Salo- mon, in eius inauguratione. 3. Reg. 1. 39. Non novum, quòd hæredes regni reges dice- rentur. Reges sunt, qui regnum nondum acceperunt. Unde Virgilius, 8. Æneid. v. 17. & Statius 1. Achilleid. v. 500.

Quam Turno Regi, aut Regi appare Latino. Obstupuit tantis Regina exterrita monstris.

Ubi ut vides Turnus hæres regni Latini dicitur Rex sicut Regina Dejdamia hæres regni Lycomedis. Servius ad illud Virgilij Eclog. 3. v. 106. Inscripti nomina Regum, subdit: Regum nomina, non quantam ipsi Reges fuerunt, sed quia Regum filij: Siveque Poëta de Ariadne 6. Æneid. v. 28. Minois filia dicit:

Magnam Regine sed enim miseratus amore.

Quid si Salomon Rex dicatur, qui iam unctus, & ab universo Israël uti hæres Davi- dis plausus? Sic ergo Rex dicitur antequam ad regnum perveniret, sicut vocatus fuit David vivente Saule (Nunquid non iste est David Rex terra? dixerunt in Geth Allo- phyl: 1. Reg. 21. 11.) modoque additur Regnans, quia mortuo patre Reipublica gub- ernaacula iurè suscepit. Rex erat pater constitutus à Deo, 1. Reg. 16. 1. unctus à Sa- muele, v. 15. & nihilominus haud regnavit, etsi Rex, quouque regimen sumpsit, & munera principatus gerere cepit. Venerunt filij Iudæ, & unxerunt (por Sacerdotem scilicet) ibi David, ut regnaret? Reg. 2. 4, & cap. 5. 3. alia tribus unxerunt David in Regem super Israël. Triginta annorum erat, cum regnare cepisset. Ita ergo regni pos- sessio dicitur regnum.

Regna colit, solusque plagâ defensus iniquâ, Possidet intactas agris animalibus oras.

Canit Claudianus de Pbaenice. v. 8. Rex erat Salomon, priusquam obtineret imperium, & quia unctus, & quia hæres Davidis, & quia instructus præclaris dotibus; de quo aptius possumus dicere, quam de Pompeio Plinius, lib. 7. cap. 26. Triumphales currus eques Ro- manus induxit toties Imperator, antequam miles: posseâ ad tota maria & deinde Solis or- tum missus hos retulit patrie titulos. Superavit Salomon. Vide Pinedam, lib. 4. de Reb. Sa- lomon. à cap. 14. Hoc est, è celo Regibus regna ditribui: nimirum, cum Reges sunt tra- ditione regni, qui claris instrumentis ad regimen apti; ut ait Eusebius in Histor. Eccle- siast. lib. 10. cap. 10. Hinc ad illud Pauli, Rom. 12. 7. Qui præst in sollicitudine, legit Actiop. Qui præponitur, ut præst præfectura sue.

23 Deinde exponi potest Rex Salomon regnans; vel quia solus regnabat, cum pridem cum patre regeret, quod propriè regnare est, ut sit Monarchia, & firma sta- bilitas.

Quoniam fundamine magno Res Romana valet, & præside pendet ab uno.

Ut ait Ovidius lib. 14. Metam. Fab. 19. Non capit regnum duos: ait Seneca in Thyest. v. 443. sicut orbis duos Soles. Nec regna socium ferre, nec tede sciunt: in Agamemna. v. 259. & Lucan. 1. Pharsal. v. 92.

Nulla fides regni socijs: omnisque potestas Impatiens consortis erit.

Unde Salomon electus in Regem, regnabat, idest, pacificè, ac munus regium gere- bat

bat sine obice: illico enim ad sceptrum suscepit, magistratus instituit; regnumque ad domum disposuit; ut refertur ibid. à v. 2. De officijs aulicis ipsius regie; adi Pinedi, quò suprà lib. 5. cap. 13. & Menoch. de Republ. Hebr. lib. 1. cap. 12. Prudentia in regno pollebat, atque sapientià, queis Reges regnant & legum conditores iusta decernunt. Qua de causa dicitur; Regnabit Rex & (pro Quia) sapiens erit: equidem insipiens Rex quidem; sed non regnat, quoniam habet in throno à sede maiestatem, verum nullo modo regimen.

Proverb. 8. 15. Ier. 23. 5.

Iuvenal.

Nullum Numen abest, si sit prudentia. Iterat Iuvenalis Satyr. 10. v. 365. & 14. v. 316. constatque quàm præclarum regnum ex Rege præclaro. Horat. lib. 1. epist. 1. v. 106.

Horat.

Ad summam, sapiens uno minor est Iove, dives, Liber, honoratus, pulcher, Rex denique regum.

Malucend.

24 Quid illustrius iudicio in contentione meretricum pro filio? Obijcitur oculis ibid. cap. 3. à v. 16. Aptè ergo Malucend. in illud, Regnabit Rex, & sapiens erit; interpretatur: Strenuè ager: constanter, gnæviter, strenuè rem geret: prosperabitur, fortunabitur, feliciter ager in cunctis: igitur assiltrice prudentia, expeditioni pervia, quæ difficilia. Occurrit aliquorum Principum in perplexis, ambiguisque rebus mira sagacitas, ut in & ex iudicio claret abstrusa veritas. Scitum est illud Tiberij, negante matre filio alimenta, quippe non filius: iussitque habere maritum, nolentem cognoscere gnatum. Idem refert Ioann. Magn. in Histor. Gottb. cap. 29. de Theodorico Gotthorum Rege. Equum surripuerunt milites cuidam rustico imperante Friderico III. apud hunc rusticus quæstus, cum fur haud facile nosci possit, iussus est ab Imperatore equà iugali per compita urbis equitare; quippe equus equæ iugalis accepto odore profectò hinnitatus: ita ut cacum mugitus bovis, hinnitus equi furem prodidit. Aneas Sylvius lib. 2. de Reb. Alphonf. De hoc insigni Principe etiam refert Panormitan. iussisse, filium, quem genitor ex ancilla susceperat, & negabat, ne mater libertatem acquireret; sub hasta exponi: quod quidem pater haud ferre potens; filium, ne illo vivente servum videret, agnovit, & iuxta leges servam libertate donavit. Mirificum fuit iudicium Ariopharnis Thraciæ Regis, de quo Diodorus Sicul. lib. 20. & Solorzan. Emblem. 61. n. 51. referunt, ex ambiguitate legitimi filij (tribus successorem in regimè ambientibus) veritatem ex filij pietate cruisse, & sceptrum ei uti hæredi donasse. Dulciter modulatur Laurent. Hæchtan. in Microcosm. Emblem. 47.

Mira prudentissima iudicia sagacità Principum.

Laur. Hæcht.

Tres habuit quidam, præclaro stemmate, natos, Ex quibus unus erat thalamo non cretus eodem. Vix pater in tenues moribundus abiverat auras; Ecco parant lites pueri, quis iure relictas Usurparet opes, & amica munera fortis. Continuo Iudex defuncti membra parentis Arboris affixit trunco. Qui pectora tanget, Inquit, habebit opes: illi patrimonia cadent, Iamque duo primi genitoris viscera velis Traijciunt: minimus nulla ratione volebat Ledere membra patris, potius sed linquere vitam. Hunc pietas natum testata est parentis. Nam vires superat natura potentior omnes.

Regimine dignior, qui favoris, quæ qui austerus

Iudicium egregium Solymanni Turca.

25 Idem ferè iudicium in Ievamen populorum fecit quidam, cum tres habens filios, cogeretur ex illis designare successorem in regno. Exposuit illorum optioni coram accipitrem, aquilam & columbam; ut ex electione pateret singulorum indoles: à prioribus filijs aves eliguntur priores: ceterum minimo datum diadema, à quo electa fuit columba: quoniam dignior regno, qui regit mansuetudine, quàm potestate. Idem ibid. Emblem. 30. Vel barbarorum Regum plausa prudentia. Summam auri mutuo acceperat Byzantij Christicola à truculento Iudæo, eo pacto ut præter fortem, solvendam constitutà die, duas uncias carnis debitoris Hebræus reciperet loco usuræ. De mutuo haud lis orta, quippe statò die solum, sed de usura. Execrandus Iudæus pro fenore Solymannum, Turcarum eo tempore Imperatorem adit, ut licem dirimat. Expavit Barbarus, sed non ut barbarus causam expedit. Novauculam iubet afferre, Iudæumque ut ex mutuario duas tantum carnis uncias sibi excindat ea parte qua voluerit: sin minus, plusve rescuerit, proculdubio suspendendus. Quid in ancipite ar-

ticulo? Christianus ab usura dimissus, quia Iudæus huiusmodi subire aleam nequaquam ausus. Hi sunt vetè imperantes in præsentì populo: Dominantes in potestatibus suis: bo- mines magni virtute & prudentia sua præditi. Græc. Dominantes in regnis suis: siquidem qui ita prudenter iudicant, Reges regnant. Nervosè Arabic. Propter me Reges: sine prudentia quippe iudicio, haud Reges, sed insulati angustissimi stipites.

Ecclesi. 44. 3.

26 Hoc in Scriptura propriè dicitur Regnum Regis. Aliquando usurpatur pro tempore Principatus, ut apud Eisdram: In regno Artaxerxis Regis. Usque ad regnum Darij Regis: idem reperitur, cap. 7. 1. & 8. 1. Quandoque pro dignitate regia, seu dominio. Unde Plautus in Pseudol. Act. 1. scen. 1. v. 13. Sub Veneris regno vapulo, non sub Iovis. Et 1. Eisd. 7. 21. Ne forte Deus cali irascatur in regnum Regis. Sæpe pro Monarchia: Principium regni eius Babylon. Genes. 10. 10. Uno tantum regni solio te præcedam: cap. 41. 40. Virgil. 12. Aeneid. v. 22. Sunt tibi regna patris. Interdum pro nationibus. Non est factum tale opus in universis regnis. 3. Reg. 10. 20. Regna terra. Psalm. 67. 33. Lucan. 8. v. 812. Regnorum quicquid in Euro. Denique regnum accipitur pro ministerio, sive Regis exercitio, quod idem est ac regnare; quippe officium Regis regere: tunc Rex regnat ratione prudentis iudicij, haud quia regno potitur, ac dignitate. Audiendus Senec. in Thyest. à v. 344.

1. Eisd. 4. 5. 6.

Regni accep- tionis.

Regem non faciant opes. Non vestis Tyria color, Non frontis nota regia, Non auro nitida trabes. Rex est qui posuit metus, Et diræ mala pectoris. Rex est, qui metuit nihil. Rex est, qui que capit nihil. Qui tuto positus loco, Infra se videt omnia: Occurritque suo libens Fato, nec queritur mori.

Dotes viri regis.

Senec.

Sic igitur regens tutatur non tam regiones, quas possidet, quàm subditos, ex quibus regnum.

27 Memorato hominis regno, haud præterire possumus expositionem Regni Dei. Absolutè dividitur in regnum potentie, in regnum gratiæ & regnum gloriæ. Regnum dicitur potentia, quatenus illi omnia subiecta sunt. Secundum operationem, qua etiam possit subjicere sibi omnia. Phillip. 3. 21. At aliquando huiusmodi regnum potentia tantum accipitur respectivè ad Deum auctorem supernaturalem, qui creaturas rationales, ut sint Regnum eius per gratiam & gloriam, possintque dicere Christo: Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex tribu & lingua & populo & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum; quærit, & vocat in fidem. Regnum habet, sed non totum regnum. Unde Paulus: In eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei (id est, quoad ius, vel adiectivo pro nomine in Bilis: hoc est subiectum pro subijcibile: actu secundo pro primo, de quo alibi.) nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei: igitur non omnes acceperunt fidem. Pro gratia & gloria est illud Matth. 6. 10. Adveniat regnum tuum, Pro gratia, Luc. 9. 2. Prædicare regnum Dei: id est, gratiam, adventu Salvatoris, quare Paulus, Tit. 2. 11. Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus. Pro gloria, dum prædixit discipulis Dominus sui corporis transfigurationem nomine regni Dei. Donec videant regnum Dei veniens in virtute. Marc. 8. 39. Unde Petrus huiusmodi articulum dixit Magnificam gloriam. 2. Epist. 1. 17. Sic Baptista adventu Christi prædicabat, Matth. 3. 2. Appropinquavit regnum cælorum: quoad gratiam quippe iam ostium patens & prærens: quoad gloriam, quoniam morte aperit Christus, illud cæleste, quod occluserat Adamus, Regnum enim Dei in novo testamento, est sæpè significet Ecclesiam militantem, fidelium congregationem, & quo pervenitur in Regnum Dei, modumque illud acquirendi, seu conditiones, quibus habendum; propriè regni gloriam Dei & gratiam: regnat quippe Deus Rex in cunctis fidelibus in hac vita per gratiam, ac in futura per gloriam. Ergo in Pleonasmum.

Quid sit regnum Dei

Apocal. 5. 9 10.

Hebr. 2. 8.

Alia secunda pro primo.

Varie acceptiones regni Dei.

28 Aliter explanare possumus, Salomonem Regem regnare: nimirum, quia per se, sine consiliarijs regere Rempublicam quibat, quoniam scientiam intuitam à Domino habebat. Alij Reges regunt ducti consilij suorum; quia ut ait Plaut. in Milit. gloriof. Act. 3. scen. 3. v. 12.

Nemo

Plauti Nemo solus satis sapit. Nam multos vidi Regionem fugere consilij, prius quam repertam haberet.

Salomon Rex insignis Salomon autem per se ferre sententiam vel in causis difficillimis poterat, & regnare solus. Quanta ex huiusmodi habitu gloria principi & regno, constat ex Seneca ubi supra.

Seneca Mens regnum bona possidet. Cum non ambitio impotens Et nunquam stabili furor Vulgi precipitis movet. Hoc regnum sibi quisque dat: Stet, quicunque volet, potens Aula culmine labrico.

Hoc regnare, seu dominari in regno. Hinc David in huius regiminis excellentiam, Psal. 21. 29. Domini (inquit) est regnum & ipse dominabitur. Siracides, ubi supr. Dominantes in potestatis suis. Tigurin. Qui regnit suis dominati sunt. Dum iunguntur verba idem significantia, regiminis præsignatur eminentia, & principum gloria, uti videbimus infra. Ad rem Tacitus de Orator. cap. 5. Studium (ait) quo non aliud in civitate nostra vel ad utilitatem fructuosius, vel ad dignitatem amplius, vel ad urbis famam palcibus, vel ad totius imperij, atque omnium gentium notitiam illustrius excogitari potest. Nam si ad utilitatem vite, omnia consilia, factaque nostra dirigenda sunt; quid erit tutius, quam eam exercere arte, qua semper armatas presidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, invidis vero & inimicis metum & terrorem ultrò ferat, ipse securus, & velut quadam perpetua potentia, ac potestate munitus?

29 Qui per se non regnant, regnum habent, sed Reges non sunt. Propter eam Agis, ut refert Plutarch. in eo, dicere solebat: Qui Respublica gubernanda rationem ad gloriam dirigit, ministrisque ac servi multorum evadunt; nomen dumtaxat Principum sortuntur. Non eundem Principem & asseciam habere potestis.

Qui Rex est, Regem, Maxime, non habeat.

Martial. Iurè in admirabile regimen succinuit Martial. lib. 2. Epigram. 18. & Paulus Æmilius ad milites: Si imperatori imperare vellent, ridiculos in expeditione fore. Ita refert Plutarch. in eius vita. Corpus debet sequi caput: & dum caput regitur, patet regnum sine capite. Haud Rex regnat, neque stabile regnum, ubi aula non regnum, sed turpissimum servitium, ut accidit morioni Claudio, qui principatum habuit, quasi precario accepisset. Salomon ergo Rex regnabat, uti dictum de Iudicibus Iudicabant. Princeps principabatur; id est, eminenter regebat, atque exactissimè regium manus obibat. Hoc enim stylo exprimitur vel apud Ethnicos spectabile regimen, & spectabilis Rex. Plaut. in Milit. Act. 4. scen. 4. v. 24. Imperabis Imperator. In Amphitr. Act. 1. scen. 1. v. 39. Regi regnum stabilitiv. In Curcul. Act. 1. scen. 3. v. 22. Sibi sua habeant regna Reges. Virgil. 6. Æneid. v. 851. Tu regere imperio. Sumitur igitur Regnare pro Dominari: apud Nostrates, Senecæ rears; quod olim per potentiam signabatur. Ovid. 2. Metam. fab. 1. Nulla potentia longa est. Et 5. Trist. Eleg. 2. v. 35.

Ovid. Ille Deus, bene quo Roma potentia nixa est. Item Epist. 13. v. 59. Classe, virisque potens. Virgil. 1. Æneid. v. 535. Terra antiqua, potens armis. Propert. lib. 2. Eleg. 26. v. 22. Tota dicar in urbe potens. Lucan. lib. 9. v. 170. de Pompeio: Mortem populos desistere potens: lib. 10. v. 136.

Lucan. Discubere toris Reges, maiorque potestas Caesar.

Potestas pro principatu. Sueton. in eo, cap. 72. Iam autem rerum potens Caesar. Tacit. 11. Annal. cap. 31. Iam imperij potens. Vernaculè: Reyes, y Señores, qui quidem ratione dominij & ditionis dicuntur Potestates: hoc est Reges, sive Principes potentes. Unde exponere possimus: Potens Salomon regnabat, accepta voce Regis, pro potestate: qua phrase utitur usque, quaque Martialis.

Martial. Quid frustra nemorum dominum, regumque fatigas? Iterat ibid. Epigram. 113-4. 84-10. 10. Imitatur Quint. Sæctanus, seu Nicetas, Satyr. 14. v. 145.

Sæctani. Et patrem, dominamque voca: modicum hoc, nisi Regem. Hoc est, ad cuncta potentem, insignem utique Principem.

39 In sacra pagina huiusmodi eminentia, ac auctoritas ostenditur geminatione potestatis

testatis per epiraphim, q. d. Rex potentissimus. Davidi parenti Saul, dicitur: Potens poteris. Nimirum, Protecto regnabis, quin nemo tibi possit resistere. Hinc de Iuda Machabæo dixit Timotheus principibus exercitus: Non poterimus sustinere eum, quia potens poterit adversus nos. Potentia insuperabilis signatur, quippe resistentia impossibilis. Ita Plaut. in Stich. Act. 1. scen. 2. v. 11.

Obfirmabitur adversus nos. Pati oportet, Quod ille faciat; cuius potentia plus potest.

Lucan. 2. Phars. v. 315. Regna pati: & lib. 7. v. 444. Qui regna ferant. Quo patet Regnum pro Regum potentia. Quod genus dicendi bifariam potest exponi. Primò per adverbium, demonstrans rei, aut articuli certitudinem: quasi certissimè, semperque poteris. Valebis, & omnino valebis. Valebis & prævalebis, & posse poteris: Maluend. Quare dum Davidi dicitur: Faciens facies & potens poteris; idem est, ac poteris facere, atque poteris perficere: valebis & prævalebis. Primam sententiam delicat secunda: q. d. Valebis faciens & prævalebis perficiens. Quod phrase Plautina in Pers. Act. 3. scen. 3. v. 22. Valide valet. Terent. in Adelph. Act. 3. scen. 4. v. 56.

Vos facillimè agitis, quam estis maximè Potentes, ditos, fortunati, nobiles.

Sic enim Hæye, loc. cit. legit. Omnia succedent ex voto. Vid. Tom. 4. Tautol. 2. à n. 16. Secundò explari potest Pleonasmus, uti dudum dixi, per superlativum. Potens poteris: scilicet, Potentissimus eris. Arabic. Vines & vicisti. Chald. Regnando regnabis & prosperando prosperabis etiam. Ex facilitate executionis vel in rebus difficilibus potentia sanè innotescit. Sic ille alius apud Plautum in Pers. Act. 5. scen. 1. v. 8. aiebat: Faciam, ut fiant; quorum opera hæc mihi facilia Factu facta sunt, qua volui effici.

In Amphitr. Act. 2. scen. 2. v. 101. per equipollentiam vocum: Potest, & valet. Haud inefficax erit potentia, imò valida. Haud, uti dixit Virgil. 5. Æneid. v. 231. Possunt, quia posse videntur: equidem potentia verè valebit. Valendo valebis: Pagnin. Opere complebit desideria: Syr. Potentissimus eris auctoritate regià, dignitate, copijs, viribus, gloria tantæ maiestatis. Purpuram & plausum, & ex hoc potentiam, & quicquid potentia potest: ita Seneca, Epist. 69. Si plus potest, qui plus valet, ut ait Plaut. in Trucul. Act. 4. scen. 3. v. 38. sanequam potentissimus eris: igitur quæque cogitaveris, poteris, & facillimè perficies. Per potentiam regnum floridissimum portenditur: sicinè Manahem Eilenuus predicans Herodi Alcalonitæ regnum, ut perhibet Ioseph. 15. Antiq. cap. 14. Imò (inquit) regnabis, & feliciter dominaberis. Hoc est quod Tacitus, ut vidimus, n. 27. dicit Potentiam & potestatem: sine utraque nihil Rex; quare Goliath illudens Sauli, ut ait Philo Bibl. dicebat: Nunc regnans, descendens tanquam vir & Rex, & expugnabis nos? Regem non agnoscebat, etsi regnantem; quippe illius videbat potestatem, sed non potentiam. Ut potentissimus sit Rex & principatus, utriusque sanè necessarius nexus. Qua acceptione de Salomone, 3. Reg. 10. 23. dicitur: Magnificatus est Rex Salomon super omnes Reges terra divitijs & sapentiâ. Dicere quibat illud Atræi, apud Senec. in Thyest. v. 909.

O me exaltum excelssimum Regumque Regem!

31 Substituit animo investigatæ, cur de Salomone dicitur, quod esset Rex, postque regnaret, nimirum, erat Rex Salomon regnans; & de Ieroboam prius dicitur regnum, postque quòd futurus Rex? Sic enim audiit ab Ahia: Regnabis super omnia, que desiderat anima tua; et quæ Rex super Israël. Regnare accipitur pro felicem esse, & conceptis votis potiri: sic enim dicitur, Super omnia que desiderat anima tua. Sic illud, de quo supr. num. 23. & 24. Reges regnant: id est, prosperantur. Regnabunt per unum Iesum Christum. Rom. 5. 17. Regnabimus super terram. Apocal. 50. 10. Regnabunt in secula seculorum; cap. 22. 5. Hoc est, felices erunt: quo sensu Paulus, 1. Cor. 4. 8. Sine nobis (inquit) regnatis: & utinam regnetis, ut & nos vobiscum regnemus. Acceptio apud Ethnicos etiam in usu. Plaut. in Pœnuli. Act. 3. scen. 3. v. 58. Rex sum (id est, felix) si hominem allexero. Horat. 1. Epist. 1. v. 59. Rex eris, si rectè facies: nimirum, faustus, gloriosus. Rex ibis: 1. Satyr. 3. v. 138. Propert. 2. Eleg. 34. v. 57. Ut regnem mistas inter conviva puellas. Sic alia passim: ad Adrian. Turneb. in Adversar. lib. 24. cap. 29. Hinc sensus Ahia in enuntiatione fortis fausta Ieroboam. Regnabis, ait: id est, felix eris: & ita felix, ut etiam futurus Rex Israël. Nancisceris feliciter quæ optas, &

Tom. V. C. QUÆ

1. Reg. 26. 25.
1. Mach. 5. 49.
Plaut.
Participium pro adverbio.
Maluend.
Terent.
Pro superlativo.
Chald.
Plaut.
Quid sit potentia per ten.
Senec.
Ioseph.
Phil. Bibl.
Salomon Rex potentissimus.
Senecæ
3. Reg. 11. 37.
Prov. 8. 15.
Regnare pro felicem esse.

*Gloria re- amicitus, ultrò sese venientibus offerens, aderat, potentibus comiter benignèque respondens, gii, posse summæque humanitate & loqui & audire paratus. Verùm quid? Secus Salomon. Ostendit Reginz domum, quam edificaverat, cibos mensæ, habitacula fervorum, & ordinem ministrantium, vestesque, &c. ibid. v. 4. An non gloriosè? Gloriosè utique. Dedit Dominus Salomoni latitudinem cordis, quasi arenam quæ est in litore maris: & divitias, opulentiamque Reginz exoticæ ostendit; quippe ut ait Seneca, quod nuper, *Infermi animi est, pati non posse divitias*. Ita igitur constabat, quòd esset Rex & regnaret.*

Senec.

Ut ait Delrius in Senec. *Thyest.* v. 365. Quicquid munerum Regem regnantem illustrat, Salomon gloriosè in regimine tenet. Audi Claudian. in *Nuptijs Honorij & Mariæ*, à v. 326.

Delr.

*Hoc quisquis poterit, licebit illi,
Fortunam moveat loco superbus.*

Dotes Salomonis.

Ut ait Delrius in Senec. *Thyest.* v. 365. Quicquid munerum Regem regnantem illustrat, Salomon gloriosè in regimine tenet. Audi Claudian. in *Nuptijs Honorij & Mariæ*, à v. 326.

*Contigit senij gravitas, viresque iuventæ,
Utraque te cingit proprijs insignibus ætas.
Ornatur fortuna viro: non ulla nocendi
Tela, nec infecti iugulis civilibus enses.
Non odium terrore moves, nec frena resolvit
Gratia diligimus pariter, pariterque timemus.
Ipse metus te nosse amat, iustissime legum
Arbiter, egregia pacis fidiissime custos,
Optime ductorum, fortunatissime Patrum,
Plus iam, plus domino cuncti debere fatemur.*

Claudian.

36 Notandum tandem de Rege Salomone dici duntaxat Regnare; quod est genericum: non imperare, quod specificum. Pacificus erat Salomon, quia in diebus eius iustitia & abundantia pacis. *Salomon imperavit in diebus pacis*. Unde in regno sen regnans dicitur Rex & nequaquam Imperatori: liquidem Imperator, vel Dux est ductor exercitus, cui rei militaris summa creditur, tam apud Græcos, quam apud Romanos, ut videri est apud Plutarch. in *Vitis Illustr.* Patet munerum discrimen: igitur pacificus Numa renuens Romanorum regimen, dixit Legatis: *Non futurus Rex in ea urbe, que Imperatore magis, quam Rege opus haberet*. Ita Plutarch. in eo. Imperatores profectò fuere

Beccl. 47.

loab & Abner, alijque multi, & tamen non fuerunt Reges: primi Romanorum Reges fuere simul Reges & Imperatores. Super Israëlitis regnum uti caput Salomon & Rex regnabat, ceterum tanquam Imperator non regebat: habebat enim Banaïam super exercitum. 3. Reg. 4. 4. Absolutè munus erat Regum iudicium quoad civilia, ac directio quoad militaria: hoc intuitu Regem Israëlita petentes dixerunt Samueli: *Rex erit super nos, & iudicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis*. 1. Reg. 8. 19. 20. ideo dicebantur Præsides, Præfites & Antilites, Marte & Minervâ, galæa & togâ, & in expeditionem exercituum, & in iudicium fatale causarum. Unde Ovid. ad *Liviam*, v. 13.

Plutarch. Discrimen Regis & Imperatoris.

Exemplum invenis venerabile morum:
Maximus ille armis, maximus ille togâ.
Hinc sensus perspicuus testimonij sacri. Haud Salomonis gloria inextricabilia bella. Arcum conterit, arma confringit; quia in pace sunt omnia quæ possidet. *Erat autem Rex Salomon regnans.*
*Laurea sacundis cesserunt arma togatis,
Armorumque decus.*
Canit Lucanus *Panegyri Pison.* v. 36. Haud mutæ iacent sine vindice leges sub sapientè Salomone.

Ovid.

Exemplum invenis venerabile morum:
Maximus ille armis, maximus ille togâ.

Salomon Rex pacificus.

Hinc sensus perspicuus testimonij sacri. Haud Salomonis gloria inextricabilia bella. Arcum conterit, arma confringit; quia in pace sunt omnia quæ possidet. *Erat autem Rex Salomon regnans.*

Lucan.

*Laurea sacundis cesserunt arma togatis,
Armorumque decus.*

Canit Lucanus *Panegyri Pison.* v. 36. Haud mutæ iacent sine vindice leges sub sapientè Salomone.

Idem.

*Nec enim si bella quierunt
Occidit & virtus: licet exercere togatæ
Munera militiæ: licet & sine sanguinis hanstu
Militia legitimo sub iudice bella movere,
Hic quoque servati continget gloria civis:
Altaque victrices intexunt limina palmæ.*

Ruth. 1. 1. Ultima expositio.

37 Ex huiusmodi expositione micat alia in principalem Tautologiam. Ita ergò dicitur: *In diebus unius Iudicis, quando Iudices præerant*. Qui summam rerum in Republica habebant olim dicebantur Præsides; quippe non solum præsidebant in curijs, sed

sed in castris; regebantque populum tanquam Reges, & tanquam Imperatores: uti Reges causas iudicando, vel Imperatores in fronte exercitus contendendo. Hocine plausu blandimen Imperatorum. Vidimus ex Ovidio, num. 23. Iterat sæpe vocem Martialis, lib. 8. *Epigram.* 80. dicit Domitiano:

Sic Præfide servatur bonus te Præsides templis:

Et casa tam culto sub Iove Numen habet.

Idem eadem, *Spei Facul.* *Epigr.* 2. lib. 6. 2-9. 19. & *Nerva.* lib. 11. *Epigr.* 2. *Plin. lib. 7. cap. 16. Sub Divo Augusto Præsides*, dixit, pro Imperatore: cuius signum Sella Regia inter duos Cofs. ut aiunt Dio, lib. 53. & 54. ac Herodianus in *Commod.* Sic igitur dicebantur Præsides, quia illorum dignitati duplex adhaerebat munus; ut Roma sibi blanditur, electo Traiano in Imperium, apud Martialis. lib. 12. *Epigram.* 8.

Terrarum Dea, Gentiumque Roma

Et fortem, iavennemque, Martiumque

In tanto Duce militem videret,

Dixit Præsides gloriosa tali.

Pariter de Iudicibus Israël dictum merito Præerant; quia Imperatorum & Iudicum fungebant officio. Potentes vocabantur Reges, fortes Imperatores. Utrumque Iudices Israël; etenim uti Reges, & Imperatores erant fortes & potentes. Hinc in iudicio Deorum Paris perplexus cogitabat, apud Ovid. *Epist.* 15. v. 79.

Regna Iovis contux, virtutem filia iactat:

Ipse potens dubito, fortis an esse velim.

Utroque munere præstant, qui in iudicium dignitate sacro populo præerant,

38 Variæ sunt versiones principalis pleonasmici testimonij. *In diebus unius Iudicis, quando Iudices præerant*. Pagnin. & Hebr. *In diebus, in quibus Iudices iudicabant*. Tygurin. *In diebus Iudicum iudicantium Israël*. Chald. *Et fuit in diebus ducere Iudices*. Maluend. *In diebus iudicare Iudices*. In diebus iudicare Iudicum. Alij apud eum: *Cum iudicaret Deus, idest, puniret*. Haye, *Tempore, quo præerant Iudices*. Aliquid in effugium ditrici divini Iudicis, auribus ingeramus ad mores.

ADINATON EXEGETICUM.

Epilog. excursus.

1. *In diebus unius iudicis, quando Iudices præerant*. Nullo modo, dum præfides iudicabant, ut fieret in iudicio iudicium rectum sine ullo præiudicio causarum: equidem cum Iudex iudicet legum tenore, præfides dignitatis lege; haud debet præfides iudicare imperio, sed præfesse in tribunali iudicio.
2. *In diebus, quibus Iudices iudicabant, quando præerant*. Quorsum iudicium iudicium, si signatur ministerium? Ut clareat iudicium, vel non iudicium: etenim nullam iudicium in iudicis munere, si iudicium sine lege.
3. *In diebus, quibus Iudices iudicabant. Quando iudices non iudicant?* Quan-

do iudicium venerabile munus depravat cordis affectus. Non iudicium, sed rationis debet esse iudicium: igitur si in iudicio iudicantium non intervenit ratio; iudicium profectò iudicium sine iudicio.

4. *Iudices iudicabant*. Ignorat amor iudicium, sed cordis ingratitude exercet quod nunquam discernere voluit. Constat ex criminum indulgentia, quanta ab amore concipiatur ira: diciturque de iudice iudicium, iudicis nota; ut Dei amore parentis reformidetur clementia: igitur in despicientes gravius iudicium formatur; dum non videtur efformare iudicium.

DIDASCALIA I.

Nihil potest Princeps, si quid ultra leges potest.

MORales discat gnomas, quem excerebravit prurigne folij miseranda potestas. Verum stulti difficile contigunt. Serò sapient Phryges, seu nunquam sapient, Nil mirum: habent cau-

teriatam cutem, imò faciem; quippequam nullo tempore, locovè ruboris colore affecta, etsi impleatur & repleatur pro meritis ignominia. Duntaxat concolor est adiatrephia, intendens scire, quasi in blandientis

Manus Iudicum Israël, Regum & Imperatorum, Martialis.

Plin. Cur diffi Præsides?

Idem.

Ovid.

Veritas Iudicium.

Præfides in futurum potestate dignitatis.